
# TRACTATIO
QVÆSTIONIS, QVO IVRE EPISCOPORVM *residentia debeatur*,

PER F. AMBROSIVM CATHARINVM POLITVM EPISCOPVM MINORIENSEM.








*Cum Priuilegio.*




*Venetiis apud Gabrielem Iolitum de Ferrariis.*

MDXLVII.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO Domino D. Ioanni Mariæ de Monte S.R.Ecclesiæ Card.Episcopo Prænestino, & sanctissimi Domini nostri Papæ IN GENERALI.S. SINODO Bononiensi Legato F. Ambrosius Catharinus Politus Episcopus Minoriensis. S.









MEMINISTI Reuerendissime atque Illustrissime Domine, quùm ageremus Tridenti, quomodo omnes patres abominati segnitiã atq; socordiam prauorum Antistitum, eleganti Decreto innouantes antiquos canones, & pœnas grauiores adijcientes, ipsorum debitam residentiam unanimiter statuerũt. Nec te fugit aliquos eam introducere quæstionem uoluisse ibi definiendam, uidelicet, an eiusmodi residentia sit iure diuino præcepta, quod & tu, et amplissimus Collega tuus, prudenti consilio non permisistis, cum sanè perspiceretis eam rem ad reformationem, quæ solũmodo desiderabatur, parum cõducere, & ipsam quæstionem habere deficultates & nodos, non à quolibet fortaßis facilè explicabiles. Nam nec inter Patres cõueniebat: ego enim etsi non indicarim apertè quid sentirem, palàm tamen dixi eos qui iure diuino præceptã esse assererent, hoc rationibus non euincere. Qua de re cum nonnullos audissem submurmurare, quòd

*deputarent aut indoctè, aut obsequij potius gratia, q̃ ueritatis, ea me esse interloquutum; cum tu etiam eadem quæ nos probare uidereris, duxi tunc in animũ meæ sententiæ rationem in scriptis exponere, & indicare ijs qui secus suspicarentur, me serium potius esse disputatorem, quàm blandum assentatorẽ. Quod & certè ab animo meo (Deo gratia est) alienißimum semper fuit. Verùm cum alia studia me aliò traherent, distuli opus, & iam abierat in obliuionem, donec tandem amici mei nuper in hanc operam me detruserunt, quorum gratia appuli animum, unam aut alteram lucubrationem huic tractatui impendere. Et ecce natum est opusculũ, quod & tibi dono do, ut quũ à grauioribus tuæ legationis negotijs fueris feriatus, & à podagræ chiragræq́; doloribus (quibus interdum paulò sæuius opprimeris) inducias aliquas obtinueris, legas quæ de ea scripsi, & intelligas, & iudiciũ tuum proferas, quod quanti faciam si expressero, uereor ne rursum in aliquam adulationis suspitionem incurram, tametsi magnis argumentis aliàs ostentauerim nescire me in huiusmodi cuiquam mortalium adulari. Verùm quis prohibeat quò minus suspicentur homines ut libet? Quid mihi oberit si, quod officij mei est, inoffenso prosequar pede? scilicet ut in pulcherrimam solius ueritatis speciem intuitum oculorũ meorum defigens, nihil illi præferam, ut par est, nec me ipsum? Vale Domine, ac patrone mi Reuerendißime & Illustrißime. Bononiæ. 8. Cal. Maias 1547.*

# TRACTATIO QVAESTIONIS, QVO IVRE EPISCOPORVM RESIDENTIA DEBEATVR, PER F. AMBROSIVM CATHARINVM POLITVM EPISCOPVM MINORIENSEM.





ON Puto aliquem adeo uel desipere, uel insolescere, ut existimet, aut ausit etiam asserere, episcopum nõ teneri personaliter residere in loco ecclesiæ sibi cõmissæ, nisi uel necessitas (quæ legi subiecta non est) impediat, uel maior ecclesiæ utilitas aliud requirat, cum canones hoc abominentur & puniant. Sed illud uertitur in quæstionem, utrum hæc obligatio ad residendum sit iuris diuini, an potius canonici & ecclesiastici. Mitto hic inquirere, an de iure naturali: quia ius naturæ ignorat ecclesiasticam hierar

chiam, q̃uis illa posita, non est diffidendum ratione naturali, id est, ratione quæ a lumine naturali uenit, posse disquiri, quatenus hæc residentia ab episcopo debeatur: hoc enim faciemus nos differentes, quod facere nõ possemus, nisi quod circa hoc censeat ius ipsum diuinum, & canonicum, siue ecclesiasticum, prænouerimus.

Igitur pro huius rei intelligentia, prius oportet definire quid est, quod dicimus esse aliquid iuris diuini. Hic enim accipiendũ est ut distinguitur ab humano, uel naturali, uel ciuili iure, uel etiam ecclesiastico.

Primo igitur & proprie, iuxta doctrinam D. Thomæ & ueritatem, illud esse diuinum ius intelligo, quod Deus ore proprio loquutus est & expressit: & cõsequenter ex eo quod est expressum manifesta, & necessaria consequentia deducitur, ut non sit opus nouo præcepto, cũ satis in eo, unde deducitur, contineatur, exempli gratia. Præceptum charitatis expressit Dominus ore suo: Proprie ergo, ac primo, diuini iuris esse non dubita-

mus. Ex hoc autē præcepto clare dedu-
citur usuram non esse licitam, cum pro-
culdubio non diligat homo proximum
suum, sicut seipsum, qui illum usuris pre
mit. Quamobrē usuram diuino iure esse
prohibitā, etiam si nullum aliud expres
sum inueniretur dei præceptū de illa, mi
nime dubitandum est, nec opus esse di-
ceremus ullo hominum præcepto ut il-
licita fieret, forte ut declararetur homi-
nibus improbis, aut sensu imbecillis.
Nec decipiatur quisquā existimans hoc
pacto, ꝙ quæcunq; nobis præcipit ius ca
nonicum, iuris diuini dici possint, eo ꝙ
necessitas illa seruandi sit iuris diuini, di
cente domino. Qui uos spernit, me sper
nit. Vt enim sit aliquid iuris diuini, opor
tet ut super illud diuinum præceptū ca-
dat, & non super necessitatem obtempe
randi: exempli gratia. Debere sacerdotē
continere, dicimus esse ecclesiastici iuris
non diuini, cum non sit hoc ulla diuina
uoce expressum, nec ab expressis neces-
saria consequentia deducatur. Et nihilo
minus hoc, quod huic præcepto eccle-
siastico debeat obtemperare sacerdos, iu

ris est diuini. Quo in loco etiam consi-
derandum est, & diligenter animaduer-
tendū ne erremus, longe aliud esse col-
ligi aliquid de scripturis ut præceptum,
aliud uero ex illis accipi ut præcipiendū.
Cælibatus enim sacerdotum, & si in scri
pturis nō uideatur præceptum, nec uere
sit, attamen ex ipsis scripturis accipimus
esse bonum & utilem, & cōuenientem
tanto officio & ordini, ac propterea di-
gnum ut ab ecclesia præcipiatur, sicut &
factum est. Nouo enim ecclesiæ præce-
pto fuit opus in hac re.

Concludo ergo quod sicut hæreticus
est, non solum qui negat q̃ expressa sunt
in scripturis, uerum etiam qui ea negat,
quæ in iis, quæ sunt expressa, cōtinentur,
& inde necessaria atq; euidenti conse-
quentia deducuntur, ita diuini iuris præ
uaricator est, non solum qui transgredi
tur quod ibi expresse præcipitur, uerum
etiam qui id quod inde euidenter dedu
citur, prætermittit.

His præmissis, si sic accipitur ius diui-
num, ut declarauimus, & sicut re uera
debet, secūdum distinctam & propriam
significationē

significationẽ uocis,sicut dicitur ius naturale,quia a natura dictatur, & ius humanũ quod a ratione seu dictamine humanæ rationis descendit, respondentes nunc ad quæstionem,primum dicimus, Non illud quæri, utrum residentia episcopi sit iuris diuini,tanquã sit expresso uerbo a Deo præcepta,Nã si ita esset,nimis turpiter in quæstionem uerteretur. Quis enim,præsertim catholicus,audeat quicquã opponere uerbo Dei?sed in hoc quæstio est,utrum ex aliquo expresso Dei præcepto iii cõsequentiæ euidentis hoc deducatur. Sunt enim qui hoc proculdubio existimant,& his modis argumẽtãtur. Episcopatus,id est,ordo ipse & officium,sine dubio a Deo est,& iure diuino institutũ,& ad hoc institutum ut curentur oues Christi. Vnde B. Paulus Episcopatũ bonum opus appellat.Cura igitur pastoralis de iure diuino est. Hæc uero absq; personali & assidua residentia præstari non põt.Personalis igitur residẽtia,et illa assidua,iuris est diuini. Qui enim certum quid præcipit, etiam illud præcipere censendus est, sine quo præce

pto illud prius præſtari nõ poteſt. Quod ſi quis dixerit etiam ſine aſsidua reſidentia præſtari poſſe curam: quia epiſcopus per alios paſtoralia munera exercere poteſt, cum nullum ſit non delegabile, Cõtra hoc inſtant, primo, quia dictum eſt Petro, Paſce oues meas, & non eſt illi dictum, mitte alios ad paſcendum. Quod autem dictum eſt Petro ut paſtori, etiam omnibus epiſcopis & paſtoribus, in eius perſona dictum eſſe recipiendum eſt.

Secũdo, quia Dominus ipſe deſignat nobis bonũ paſtorem in illo qui intrat per oſtium, qui oues uocat nominatim, & mittit eas, & ante eas uadit, & cætera q̃ profecto præſentiam paſtoris uidentur requirere.

Tertio, Epiſcopi dicũtur ſuccedere in locum Apoſtolorum: Apoſtolis autem ita fuit demandata cura euangelii prædicãdi, ut hoc per ſeipſos facere tenerentur. Vnde B. Paulus. Væ mihi, ſi non euangelizauero, neceſsitas enim mihi incũbit.

Quarto, quia quum conſecratur epiſcopus, expreſſe ei dicitur, Vade & prædica populo Dei, & non dicitur, mitte alios

ad prædicandum.

Quinto, quia Apostolus ait, Oportere episcopum esse doctorem. Frustra auté hoc si per alios posset prædicare & docere. Si ergo ut per se doceat necesse est, profecto præsentia & residentia eius est necessaria: doctrina enim in aures instillatur. Deniqꝫ sunt alia multa episcopalia munera quæ aut conuenienter requirũt ipsius episcopi præsentiam, aut etiam (ut quidam uolunt) necessario. Est enim primum debita uisitatio, quæ etsi per alios fieri posset, non tamen ita conuenit: ad hoc enim illud prouerbiũ trahi potest. Pes domini impinguat agrum, & oculus equum. Et scriptum est pastoribus, Agnosce uultum pecoris tui. Nam quæ illi debentur, longe cõuenientius a proprio & ordinario præstãtur, q̃ a Vicariis & subdelegatis. Hæc sunt enim pastoris officia apud Ezechielé, sanare egrotos, cõsolidare infirmos, alligare cõfractos, reducere abiectos, reuocare deuios, requirere perditos, deniqꝫ bene habentes custodire & cõseruare. hæc autem absqꝫ dubio magis conuenit, ut faciat episco-

pus loci ordinarius, q̃ alius quisq̃ pro eo. Et cum ius, id quod conuenientius est, exigere uideatur, restat ut episcopus resi dere teneatur. Sunt etiam, ut aiunt qui- dam, quæ non possunt nisi a proprio or dinario episcopo fieri de iure diuino, ut sunt, quæ nisi ab episcopis exerceri non possunt, sicut est, consecrare, benedice- re, ordinare, confirmare. Nec obstat si quis dicat hæc fieri posse per alium epi- scopum. Si enim, ut iam statuerunt, qui- libet tenetur hæc impendere suæ eccle- siæ, profecto non potent unus simul fa- cere satis duabus aut pluribus, præsertim cum sint aliqua munera quæ dies certos requirant, ut sunt quædam consecratio- nes & ordinationes. Quod si quis respō deat, hæc fieri posse per titulares episco- pos, qui cura uacāt in ecclesiis suis. Aiūt, ꝙ inueniri huiusmodi titulares episco- pos est per accidens, quod est contēnen dum ab arte.

¶ Aliud argumētum, ꝙ residentia iuris diuini sit, sumitur ab absurdo. Si enī non sit iuris diuini, contraria consuetudine, & similiter contrario statuto tolli pos-

ſet, & paſsim circa illam a Pontifice diſpenſari: quæ tanq̃ manifeſte abſurda relinquuntur.

¶ Eſt & tertium argumẽtum adiectum huiuſmodi. Epiſcopus proculdubio de iure diuino petit mercedem operis ſui, dicente Domino, Dignus eſt operarius mercede ſua. Cur igitur (aiunt) non etiã iure diuino debeat gregi officium ſuũ, uidelicet prædicationis & reſidentiæ?

¶ Addo ego & fortius quarto loco. Fingamus nullum eſſe de hoc eccleſiaſticũ ius, quo imperetur reſidentia, quæſo nõne reſidentia debebitur? Si negatur, manifeſtum uerum negari uidetur, & non niſi abſurde. Sin autem cõceditur, debetur ergo reſidentia, & non iure eccleſiaſtico, ergo iure diuino.

¶ Addunt quinto, & ipſius rei naturã. Epiſcopus enim & eccleſia, quaſi ſponſus & ſponſa cenſentur: quare & indiuiduam uitæ conſuetudinẽ poſcunt. Quo modo igitur Pontifex ſepabit eos, quos Deus ipſe coniunxit? Si enim carnis uinculum non diſſoluit etiam Papa, qua poteſtate uinculũ ſpiritus diſſoluet. Quod

si quis actu Pontificū obiiciet, quos faci le dispēsare uidemus, & quidē cum Car dinalibus regulariter, & cum aliis etiam curialibus, qui uaria ibi exercent officia. Respōdent, inter abusus hæc cōputari. Scio posse aliquem nos interpellare & dicere, quod licet prædicta argumenta uideantur probare debitam residentiam, non tamen probant illam deberi assiduam, tum quia multi sunt casus, in quibus absq; uiolatione præcepti licet episcopo a loco suæ cathedræ abesse, tū uero quia præceptum est affirmatiuum, cuius natura est, ut licet semper obliget, ut aiunt scholastici, non tamen ad semp. Occurrit autem hic Caietanus, & ait, A pastore exiguntur illi actus supradicti in Ezechiele, quos aut continuum, aut frequens ualde tempus exigere constat, & ratione eorū tenetur episcopus cōtinue in episcopatu residere, quoniam tanta tēporis frequentia continuam exigit residentiam, tum ex frequentia exercitii actuū huiusmodi, tum ex præparatione ad istos actus. Nam licet omne tempus nō occupetur in exercitatione actus pasto-

ralis, nullum tamē tempus est exemptū, in quo non oporteat episcopum esse paratum ad exercitationem actus pastoralis. Et quia actus pascendi est principalis actus episcopi, iuxta uerbū Domini ad uniuersalis ecclesiæ episcopū, Pasce oues meas, & ex principali actu iudicium sumendum est, ideo per se loquēdo, episcopus tenetur sub præcepto ad continuam residentiam in suo episcopatu, ita quod hoc præceptum affirmatiuum, ex natura rei præceptæ, sicut habet locum determinatū, scilicet propriam diœcesim, ita habet tempus determinatū scilicet asidue. Et sic licet præcepta affirmatiua formaliter obligent semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore, quo oportet, et in hoc differant formaliter a negatiuo, hoc tamē præceptū gratia materiæ, obligat ad semper, seu asidue, quod est quasi semper, & ad certum locum, hæc ille. Et hæc sunt quæ pro ea parte adducuntur, quæ asserit, Residētiam & illam quidem asiduam iure diuino præceptam esse.

¶ E conuerso autem, ꝙ huiusmodi residentia non sit iuris diuini, probari satis

uidetur, quia a nulla ſcriptura epiſcopis uidetur præcepta reſidentia. Et iura ipſa canonica hanc præcipiunt quæ & cum uituperant non reſidentem epiſcopum, manifeſte, non quaſi cõtra ius diuinum, ſed quaſi tranſgredientem canonũ inſti tuta, eum uituperant, ut patet in Decret. de cler. non reſiden. cap. ii. & per totum. Magnum profecto argumentum hoc, cui & aliud annectitur non minus conſiderandum, nempe hoc quodcũq; ſua pte natura mutabilitatem ac uarietatem recipit gratia materiæ, non eſt eorũ quæ ſunt iuris diuini, ſed recipit determinationem ab eccleſia, & ideo quantum ad hoc iuris canonici fit & eccleſiaſtici. exẽpli gratia confeſsio peccatorum iuris diuini eſt, ꝙ autem tali tempore tali modo id eſt aut proprio ſacerdoti aut habenti iuriſditionem delegatam & quæ huiuſmodi ſunt uarietatibus ſubiecta non iuris diuini, ſed canonici iuris dicuntur. Quod autem modus reſidentiæ epiſcopi, id eſt aſsiduitas eius, ſit ſubiecta uarietati coactus eſt confiteri tandem Caietanus. Et ideo in illorum gregem tranſire

oportet

oportet quæ sunt canonici & ecclesiasti ci iuris, propter determinationem saltem quã ius ipsum diuinum non facit; Sicut accidit in his quæ sunt iuris ciuilis determinantia ius naturale, ut possem hæc facile multis illustrare exẽplis, quæ breuitatis gratia prætereo.

¶ Nunc igitur, quoniã in superioribus argumentis argutias & captiones cõspicimus, quantum datur, ad ueritatem, nõ ad obsequium hominum attendentes, rem breuiter per conclusiones aperiemus, ut inde pateat solutio obiectorum.

¶ Prima conclusio sit, Episcopatũ, hoc est, ordinem ipsum episcopatus, & consequẽter officium & curam, esse de iure diuino, hoc est, inuẽtum & institutum a Christo, qui dixit Petro. Pasce oues meas: & alios etiam Apostolos fecit episcopos quum dixit, Sicut misit me Pater & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctũ &c. & hinc sequi, ꝙ a quacunqꝫ inferiore potestate tolli quouis modo non potest, scilicet, ut episcopatus, aut cura episcoporum non sit in ecclesia: hoc enim facere nec Papa potest, a quo hic ordo

uel officium non eſt,ſed a Deo.
¶ Secunda concluſio ſit, Vnũ eſſe tantũ in eccleſia ſancta catholica epiſcopum, uerbo Chriſti inſtitutũ perpetuo. Licet enĩ Dominus omnes crearit epiſcopos Apoſtolos ſuos,nullus tamen eorum habuit ſucceſſorẽ tanq̃ uerbo ipſius Chriſti inſtitutum,niſi ſolus Petrus Apoſtolus:quia quod dictũ fuit illi, Paſce oues meas,non minus dictum fuiſſe ſucceſſoribus,cenſeri debet.
¶ Tertia cõcluſio,ꝙ omnes reliqui particularium eccleſiarum epiſcopi præter Petrum,id eſt, Ro.Pontificẽ,ꝙ ſint epiſcopi ab ipſo Petro habent, non ꝙ ſint quaſi delegati ab eo,aut eius uicarii, ſed tanq̃ ordinarii,creati tamẽ ab illo. Nam in uniuerſali cura Petro cõmiſſa,hoc ſimul cõtinebatur, ut prouideret particularibus prouinciis,& ciuitatibus de epiſcopis. Quaobrem eius eſt diuidere diœceſes, & particularia ouilia, cum unum tantum uniuerſale ſit ouile de iure diuino, cuius paſtor eſt Petrus. Sicut ergo eius eſt diuidere,ita etiam eſt unire. Et ſicut imponere curam, ita etiam a cura ab

ſoluere, & mutare perſonas, & arbitrari de cura, & de reſidentia, ſicut uiderit eccleſiæ expedire. Hæc doctrina non eſt mea, ſed puto omnem uere Chriſtianū debere illam non ſolum concedere, ſed etiam profiteri. Quapropter doctor ſanctus B. Tho. noſter in pleriſq; locis docet, ꝙ omnis poteſtas, præſertim ſpiritualis in mundo, dependet ab hac poteſtate ſuprema Papæ, unde omnes poſſunt dicere, inquit ille, De plenitudine eius omnes accepimus. Si igitur mea epiſcopalis poteſtas, non eſt immediate a Deo, ſed a ſummo Pont. Papa, ab ipſius igitur prouidentia regulatur.

¶ Quarta concluſio ſit, qua reſpōdetur quæſito, Quod epiſcopus nō tenetur ad perſonalem reſidentiam aſsiduam in eccleſia ſua de iure diuino, ita accipiendo ius diuinum ſicut expoſitum eſt: huius autem concluſionis ratio ex ſupradictis deducitur. Cum enim nulla Dei uox faciat hunc uel illum epiſcopum, ut dicamus immediate datam illi eſſe curam a Deo, & conſequenter præceptam reſidentiam, ſine qua præſtari cura non po-

test, sed hoc totum habeat a Petro, & ab ecclesia, profecto ecclesiastici iuris, & nō diuini episcopi residentia est. Quamuis ergo episcopatus absolute in se consideratus, & cura illi annexa in genere de iure diuino sit, applicatio tamen ipsius episcopatus & cura, illi uel illi, quod istum uel illum habeat gregem sibi cōmissum, & isto seu alio tempore uel loco, non a Deo immediate est, sed a Petro, cuius cura (ut iam dixi) etiam hæc erat, uidelicet, dispertiendi curam istam, & propterea creandi episcopos. Vnde B. Paulus, ut significaret quomodo episcopi sumus, dixit. In quo uos posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, intelligens Spiritu sancto fieri, quod per prælatos rite disponitur. Itaq; omnis obligatio particularis episcopi circa curā crediti sibi gregis ab eo descendit, a quo & episcopatum accepit. Vnde & normam curandi ab eo debet accipere, quā tamen etsi Petri sit tradere, non aliter tamen debet tradere, q̄ quéadmodum sibi tradita fuit, hoc est, in edificationem, non in destructionem, id est, ut pascant greges, nō

semetipsos. Quamobrem licet Petri sit & episcopos instituere, & similiter destituere ac mutare, non tamen hoc ei licet pro uoluntate, sed ex causa, & ut uiderit expedire ecclesiæ. Quod si aliter faciat, non dicã non tenere factũ, sed uere dicã, de malefacto redditurũ illum rationem in die domini. At si uere esset hæc de iure diuino (eo modo sicut est declaratũ,) nec talia posset facere Pontifex, nec si faceret, facta teneret. Hoc dixerim ut sane intelligat lector quantũ intersit inter ea quæ iuris diuini sunt, quæ scilicet ab ore Dei statuta & immutabilia sunt, & inter alia quæ immediate ueniunt ab ecclesia. Nam propter hoc necessaria est speculatio hæc discernendi, utrum hoc sit iuris diuini, necne, & quatenus ut intelligamus quid subdatur Pontificiæ potestati.

¶ Quinta conclusio sit, ꝙ licet non teneatur episcopus particularis curare gregem immediate præcepto Dei, ac propterea iure diuino, tenetur tamen ut accepit episcopatum, iure diuino parere Petro, qui portionem sui gregis ei dispartiuit in curam, et uocauit eum in par

tem solicitudinis, quia iuris diuini est illũ Petro obtemperare. Sicut enim tenetur homo confiteri & communicare in solennitate pascali, etiã sub poena damnationis æternæ, nec tamen dicimus tali tempore, aut tali die hoc fieri debere diuini iuris esse, sed ecclesiastici, simili modo dicimus deberi curam & residentiam ab episcopo, non quia diuini sit iuris in hoc loco, uel tali modo, illum curare gregẽ, sed quia iuris est diuini eum obedire Põtifici, qui satis illud imperat (etiã si nihil aliud expresse diceret) cum eam curam impertit, Modus tamẽ curæ & residentiæ determinatur ab ipso Pontifice in canonibus suis: quia quæ huiusmodi sunt mutabilitati & uariationi subiecta sunt, & ideo ad ius ecclesiasticum spectant, sicut accidit in iis quæ sunt iuris naturalis, & indeterminata. Determinatio enim eorũ, & ipsamet, quatenus determinata sunt, de iure ciuili esse dicuntur.

¶ Restat ergo nũc ut argumẽta ex iam suppositis diluantur, quod facile est. Fatemur enim primum episcopatum esse, sicut diximus, de iure diuino, & curam

gregis annexam habere de iure diuino,
Applicationem tamen mei episcopatus
mihi cum omni sua obligatione, non es-
se immediate a Deo, sed ab homine. Vn
de a quo mihi episcopatus traditur, ab
eo & præceptũ curæ & obligatio illius
curæ descendit. & ideo ex sui natura sub
ditur ea cura & eius obligatio dispositio
ni & dispensationi summi Pontificis, a
quo accipitur. Et hic est locus ubi deci-
piuntur aduersarii. Putant enim ex hoc
quod episcopatus est de iure diuino, cõ-
tinuo sequi de singulis episcopis, qui illi
uel illi loco applicantur, ꝙ sint & ipsi a
iure diuino, hoc est, a Deo immediate,
ita ut non subiaceat episcopatus & cura
illa particularis residentiæ potestati &
arbitrio Papæ sicut uere non subiaceret,
si iure diuino, hoc est, a Deo esset cõmẽ-
data immediate. At non ita est. Sicut ex
hoc ꝙ ieiunium est de iure diuino, non
sequitur ꝙ ieiuniũ quadragesimæ sit de
iure diuino, & consequenter imutabile.
Et similiter ex hoc ꝙ esse respublicas &
magistratus in eis sit de iure naturali, nõ
sequitur, ergo esse hunc & illũ magistra-

tum signatũ, est de iure naturali: similis est deceptio in hoc processu. Homo est dignissima creaturarum, ergo hic homo, uel ille, est dignissima creaturarum. Manifeste peccat argumẽtum. Ita ergo est in proposito, Et si episcopatus & esse episcopos in ecclesia sit de iure diuino, non tamẽ me esse episcopum est de iure diuino, cum mihi talis episcopatus applicetur medio Petro, id est, episcopo Romano. Solus episcopus Rom. immediate a Deo applicatur personæ. Quamobrem non nisi soli Petro dictum legimus a Domino Iesu Christo. Ego dabo tibi claues regni cælorũ. Reliqui enim a Petro ipso accipiunt, aut saltem sub Petro. Hoc autem dico propter apostolos, qui immediate acceperunt a Christo, qui tanq̃ uere summus Põtifex in hoc facto Petrũ præuenit. Cæteri uero omnes episcopi, qui post apostolos fuere, sicut potestatem & curam a Petro acceperunt, ita consequentissime ipsam curandi obligationem.

¶ Ea uero quæ afferuntur, q̃ nõ põt præstari pastoralis cura sine personali & assi

dua

dua residentia, nō habēt euidentiā. Non enim euidens est, quod munera episcopalia, episcopus nō posset exercere per aliū, cum nullū suapte natura, sit indelegabile, ut patet: immo sunt casus pleriq; in quibus non solum licet episcopo abesse, uerum etiam necesse est, si propterea magis consulatur ecclesiæ suæ, aut ecclesiæ catholicæ. Sunt & historiæ de uiris probis & sanctis, qui nonnunquam, & per magna temporum interualla, ex magnis causis absuerunt ab suo episcopatu. Beatus Timotheus Apostoli discipulus, etsi esset Ephesinus episcopus, tamen ad iussum Pauli, aliis ecclesiis inseruiuit, unde iussus est ire Romā ab Epheso & Corintho, idq; non semel, & e Roma Hierusalem, ut nonnullam intercapedinem, imo & frequentē pateretur cura episcopatus sui: quod de multis aliis per historias patere pōt. Sunt & casus in quibus licet dubitare an teneātur & quatenus, & ideo huiusmodi q̄ uariationē & dubitationē ex emergētibus casibus accipiunt, determinatio est sapientum, unde non possunt cōstanter dici esse iuris diui

ni. Nã quæ proprie iuris diuini sunt, certa sũt & imutabilia. Sed illud est (ut dixi) quod deceptionẽ facit, quia credimus ꝙ quia aliquid in genere consideratum, est iuris diuini. V.g. curare oues, similiter ẽt sit iuris diuini, si cõsideretur in particulari signato secũdum certos modos & cõditiones, quod est falsum manifeste, ut multis locis declarat B. Tho. exẽpla sunt immunera, & iam dedimus, & addere ẽt plura possemus. V.q. Præceptũ obseruãtiæ Sabbati, de iure naturali est et diuino, quatenus de determinata die ĩtelligitur, & de indeterminato modo obseruantiæ. Quatenus uero determinatio facta ẽ ad certum diem V.g. quod septima die, ut obseruatio est Iudeorũ, aut octaua die, sicut obseruamus nos, non est ex lege naturæ, quanquã ab initio fuerit ex lege Dei, qui diem septimum sanctificauit, propter beneficium creationis in ea die perfectum, & post modo lege Moseos confirmatum fuit. Non enim proprie Dei dicitur lex illa Moseos, tanquã quæ non immediate uenit a Deo: Decalogus autem a uoce Dei uenit. Sed non hic lo

cus disputare de singulis, declaro in lo-
co proprio & tractatu nostro de legi-
bus. Venio nunc ad resolutionem argu
mētorum, quibus uidebatur ostendi ne-
cessitas residentiæ ex iure diuino.
Ad primū igitur dico in duobus pecca-
re argumētū, alterū est quod Christi uer
ba, Pasce oues meas, dicta sunt soli Petro
& non aliis Apostolis, & multo minus
cæteris episcopis: nec in Petri persona
alii subintelliguntur episcopi, quā Petri
successores, sicut Catholici contra Lu-
theranos euincunt, & ipse Caietanus.
Quare miror in hoc loco id non ani-
maduertisse uirū illum, nec item uidis-
se, quod peccat argumentū in eo quod
colligit Dominū, quia dixit Petro, Pa-
sce oues meas, intellexisse, ut per se illas
pasceret, & nullo modo per alios, quod
erat impossibile, quum totius christiani
gregis cura illi committeretur. At hoc
erat quod obiectabat Lutherus aduer-
sus Papæ potestatem. Lutherus enim ad
probandum quod non fuerūt dicta Pe-
tro illa uerba, Pasce oues meas, suppone
bat ꝙ dominus per ea uerba exigeret, ut

per ſeipſum paſceret oues, & cũ id eſſet impoſſibile, concludebat quod illa uerba non attinebant ad ipſum Petrum. Nos autẽ cũ Catholicis dicimus ea uerba & ad ſolum Petrum attinuiſſe, atq; adeo attinere, & tamẽ nõ ſit arcte intelligi, ut cogant eum omnes oues paſcere p ſeipſum. Nam paſtorum princeps, oues, quas per alios paſcit, per ſeipſum paſcere uidetur, iuxta regulam. Qui per aliũ facit, per ſeipſum facere uidetur. Eſt autem error magnus (quod tamen quidã afferebant) Papam eodem modo eligi, et fieri ab hominibus, ſicut cæteri epiſcopi: cum nuda ſit electio in Põtifice ſummo p homines, & nõ collatio poteſtatis papalis. At epiſcopi ſicut ab homine eliguntur, ita ẽt ab homine poteſtatem & iuriſdictionem accipiunt: aut mediante homine, cui hoc datum eſt nõ ſolum habere poteſtatem, uerum ẽt conferre. Et aliter circa hoc ſapere, eſt deſipere, eſt confundere, & doctrinam tradere ſchiſmaticam.

Ad ſecundum de diſcriptione boni epiſcopi quã facit dominus, nõ uideo quã

tum urgeat. Declarantur enim ibi conditiones boni pastoris, quæ proprie erãt ipsius domini. Nullum autem ibi præceptum episcopis de residentia. Explicãtur autem quidam actus, ut est uocare oues nominatim, & ante eas ire, qui uidentur desiderare præsentiam pastoris. Sed quid hoc ut intelligatur preceptũ factum episcopis a Deo immediate, & ad probandum ꝙ illa munia per aliũ fieri nequeãt? immo parabola illa re uera, nõ ad alium pertinere uidetur, q̃ ad Christum. Vnde Caiet. ibi sic ait. Secundum huius intimæ intelligentiæ sensum, quilibet (solo Iesu excepto) describitur hoc in loco mercenarius, seu non pastor, quia nullius sunt oues propriæ nisi Christi &c. Cui autem dubium, ꝙ ad exẽplum Christi formare se quisq; debet quantũ potest, in quouis statu fuerit? Sed nũquid propterea cum descẽdimus ad particularia, elicere liceat cõtinuo diuinum præceptũ ab eo quod Christus fecit? Non puto, Quia enim Christus cõmunicauit sub utraq; specie Discipulos, non cõfestim natum est præceptum diuinum, ut omnes sic facere te-

neantur: q̃q̃ hæretici aliter dicant. Neq; quia ieiunauit.xl.dies, idcirco erit præceptum diuinum quadragesima, q̃q̃ habeat rationem in iure diuino fundatam, quia Christus sic fecit. Sed ut præceptum exculperetur, oportuit ecclesiam hoc præcipiẽdo determinare. Sicut ꝙ dies sancta resurrectionis octaua hebdomadæ celebris habeatur, non habet præceptum diuinũ, tametsi a scripturis ducatur, ꝙ præcipi debuerit. Puto autem decipi plures, qui ob id ꝙ in scripturis sunt admonitiones sanctorum, Prophetarum, & apostolorum, episcopis ut curent gregem, ut agnoscant uultum pecoris sui, & huiusmodi, continuo esse iuris diuini omnem modum curandi existimant: quod non concedimus, intelligendo ius diuinum sicut habet hypothesis nostra.

¶ Mitto ꝙ quædam admonitiones sunt non præcepta, aut si præcepta sunt, non sunt Dei præcepta, sed sua ipsorum prophetarum & pastorum, ut quæ dicebat B. Petrus inferioribus se Pascite qui in uobis est, gregẽ. & Paulus, quando uetat prophetari aut orari uelato capite, & nõ

nulla alia quæ apud ipsum tantum legũtur, ut de digamia, & si qua huiusmodi. Vnde & Salomon qui in prouerbiis dixit, Agnosce uultum pecoris tui, nõ præcipiens dixit, sed quod conueniebat memorauit.

¶ Quod si uelimus iuris diuini esse cuncta, quæ suggertur a Spiritũ sancto uiris Dei, & per ipsos mandata sunt in ecclesia, iam ad ius diuinum redigetur omne ius ecclesiasticũ & ciuile, quia per Deũ ipsum reges regnant, & legum conditores iusta decernũt. At hoc pacto iura ipsa confundimus & uane differimus, non explicantes, sed implicãtes. Quare & in concilio Constantieñ. primo, quidam Gratus episcopus hoc intelligens dixit, Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt, Nemo militans Deo iugerit se negotiis secularibus. Vide ut recte non est ausus dicere, diuinum illud esse præceptũ, sed Apostolicum statutum.

¶ Ad tertium, quod dicitur episcopos in locum Apostolorum successisse: Respondeo non debere hoc intelligi respectu Apostolici muneris, quod erat per-

ſonale,in quo erat etiam electa induſtria perſonæ:immo ab ipſo Chriſto erant ad hoc ipſum aptati ac formati. Vnde non licebat eis non euãgelizare,& in eo munere non habuerũt ſucceſſores,ſed in eo tantũ,quod & ipſi erãt epiſcopi. Quod officium officio Apoſtolatus erat annexum.Si enim apoſtolus,ergo epiſcopus, non econuerſo.

¶ Quartum argumentum facit pro nobis, Tũ quia quod dicitur, Vade & prædica populo Dei,non eſt uox Dei,ſed ecclesiæ,unde cõuincitur potius hanc obligationem non eſſe iuris diuini, ſed eccleſiaſtici & canonici: Tum uero quia adhuc non ſic rigide eſt intelligenda,ut teneatur homo p ſeipſum prædicare,quaſi ſit hoc Apoſtolicum munus,ut ſic electa ſit perſona ad euangelizandum,ita ut nõ ualeat per alios facere,ſicut apoſtoli, qui ipſi tenebantur prædicare.Nam apoſtolatus ille,& apoſtolorum prædicatio pro infidelibus erat, ad cõuertendas gentes, & fundandam fidem. Epiſcopalis uero prædicatio eſt pro iam fidelibus,ut in fide maneant. Vnde dicitur,Vade ad prædicandum

dicandum populo Dei,& non dixit,gē-
tibus. Itaq; potest episcopus, imo debet
cum non sit ipse aptus ad prædicationē,
aut si inueniat aptiores, sufficere illos ut
hoc munus impleant loco sui. Alioquin
peccasset sanctus Valerius Hypponensis
episcopus qui B. Aug. in hoc opus substi
tuit loco sui,de quo tamen a prudētibus
est cōmendatus. Et idem fecerunt innu-
meri & sancti Pastores,quos uelle dāna-
tos esse ob hoc ipsum,temerarium est.
¶ Ad quintum,ꝙ oportet episcopū esse
doctorem, non negamus. Nec tamen,si
non sit doctor,nō erit episcopus:sed pec
cabit qui talem elegerit imperitum, &
ipse quoq; qui munus acceptauerit, cū
se minime esse idoneum poterat agno-
scere. Nec tamen doctrina episcopi pro
pter hoc tantū requiritur ut ipse assidue
prædicet, sed ut possit etiā de alienis do-
ctrinis iudicare,& saltē docere,siue præ-
sens sermone,siue absens per epistolas(ut
faciebat B,Paulus & alii Apostoli)exhor
tari,instruere, consolari. Quod & olim
faciebant episcopi eruditi,ut D.Cypria-
nus, Ambrosius & alii. Quare doctrina

non ſemper nec aſsidue exigebat præſentiam. Itaqꝫ ratio iſta non probat obligationem ad aſsiduam reſidentiam, quam etſi probaret (cum nos eam non negemus) non tamen probaret eam eſſe de iure diuino, niſi eo modo quo declarauimus. Quare eadem ratione ſoluuntur, q̃ de aliis officiis epiſcopi allata ſunt. Non enim negamus officia ab epiſcopo debita: nec item inficiamur ꝙ rationabiliter ipſe illa per ſeipſum præſtare potius debeat q̃ per alium, ſi tamen fieri poteſt ut ſolus unus omnia præſtet: quod certe minime fieri poſſet, præſertim ubi diœceſis fuerit nimis ampla. Doctrina enī & prædicatio requirit totum hominem. Meſſis autem cum ſit multa, & officia erga illam multa, requirit etiam cooperatores multos. Quare non conuenit dicere, ꝙ epiſcopus illa omnia & ſingula per ſeipſum exercere ſit aſtrictus. Vnde legitur Decretum concilii generalis ſub Innocentio, ubi mandatur epiſcopis, ut idoneos uiros habeant, quibus committant & prædicationes, & uiſitationes, & audientiam confeſsionū, & alia quæcunqꝫ

pertinent ad salutem animarum. Quinimo correctiones & uisitationes, et emẽdationes in ecclesiis & in clero, Itẽ examinationes promouendorum siue ad sacros ordines, siue ad beneficia, per archidiaconos ex officio fieri consueuerunt, sicut docent sacri Canones. Quare falsum apparet, quod proponũt noui quidam tanq̃ axioma, dicentes absolute, episcopi officia eẽ personalia, nec posse per alios administrari.

¶ Illud omnino onerosum est, quod ẽt dicũt esse munera propria episcopi quæ proprium loci requirãt epm, & ab aliis episcopis exerceri iure non possunt. Frustra ergo introducti sunt Coadiutores. Quid enim si proprius episcopus infirmetur? quid si necessario fuerit peregrinus, aut exul, aut ad curiam uocatus ex magna causa, aut ad concilium? His casibus, si cura illa, ut uolunt, tam assidua de iure diuino exigitur, & per alios præstari nõ potest, quid hic fiet? an hæc sunt per accidens, ut dimittantur ab arte? Et cur non liceat uti opera ac ministerio titularium episcoporum? Aiunt horum crea-

tio est per accidens. Sed quæ consequentia, ut non liceat eorum opera uti ac ministerio, si bonum fuerit et necessarium? Imo ipsimet qui hoc negāt, ui ueritatis tandem in necessitate concedunt. Sunt tamen qui uelint huiusmodi episcopos titulares non esse, quoniam omnes mali sunt. Sed cur tales creantur qui sunt mali? an quia titulares, idcirco boni esse nō possunt? Verum huius rei cognitio, uidelicet, utrum sit bonum destituere hos episcopos, Papæ est, nō nostra. Mihi bona ratione instituti esse uidentur. Si quid uero circa hoc peccatur, ut eligātur mali, hominum uitio dandum est, non ipsi rei. Nam & sæpenumero etiam non titulares, mali eliguntur & creantur: & hoc sane est p accidēs, & cōtra uerā normā.

¶ Ad aliud uero principale argumētū, falsum est quod sumitur, uidelicet, q si hoc non sit diuini iuris, uidelicet, præceptum residentiæ personalis, posset contraria consuetudine tolli, quoniam talis consuetudo esset abusus. Sicut enim omnis lex debet esse iusta & rationabilis, ut sit lex, ita & consuetudo non ualet, neq3

etiam eſt dicenda cõſuetudo ſed abuſus, cui ratio manifeſte repugnaret. Non autem cõuenit rationi, ut prælati a Spiritu ſancto poſiti in cura ouium Chriſti, q̃q̃ mediante Petro, ab illa cura ſine ratione ſe expediant, & ſine particulari & iuſta cauſa, cuius tamen iudicium ſummi Paſtoris eſt. Nec ualde mirum quod hoc argumento motus fuerit Caietanus, putans ꝙ ius poſitiuũ facile tolli poſſet cõſuetudine: ignorabat enim iura, & id qđ Gregorius nonus ca.fi. recte docuit his uerbis, Licet longæuæ conſuetudinis nõ ſit leuis autoritas, non tamen eſt uſque adeo ualitura, ut uel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis & legitime præſcripta. Hæc ille, cui magis hac parte credendum eſt, q̃ Caietano.

¶ Fateor tamẽ ꝙ poenæ quæ lege eccleſiaſtica ſtatuuntur nõ reſidentibus, cum ratio huiuſmodi ſtatutorum ſit ſubiecta uariationi, et ideo merito pati poſſet mutationẽ, poſſunt longa deſuetudine tolli. At abſolute ꝙ non reſideāt epiſcopi, nec expreſſa lege fieri poteſt a Papa: quoniã

manifestam iniquitatem contineret, & contra ipsius rei naturam. Contra ius diuinum ergo faceret Papa, relaxando residentiam, cum (sicut diximus) sit diuini iuris ut ipse eam præcipiat, quam tamen eo ipso præcipit, quando curam imponit, quatenus tamen ad curam exigitur, quum iure diuino ipse teneatur pascere omnes oues, aut per se aut per alios. Nã quia omnes nõ potest per se, saltem per alios hoc agere debet: quod profecto nõ faceret, si omnino residentiam tolleret. Ipse ergo summus Pont. habet a iure diuino, ut præcipiat residẽtiam & eius modum, iis quos elegit in pastores. Præceptũ uero ipsius residentiæ ab ipso Pont. habet episcopus, ut patet, non a iure diuino. Nec potest circa hoc passim & absq; causa dispensare Papa sine animæ suæ periculo, quia potestas illi data est in edificationem, nõ in destructionem, id est, ut oues curentur, non ut negligant. Tamẽ ad illum pertinet determinare ac moderari residentiam, & poenas pro arbitrio ponere.

¶ Ad illud uero tertio loco adiectum,

quo sic arguit quidam. Si de iure diuino est, quod debeatur merces episcopo, etiá iuris diuini esse debet, ꝙ teneatur impendere officium suum, & propterea etiam residentiam. Quod argumẽtum si probat, etiá probat quod de iure diuino debet religiosus prædicationẽ suam populo, quoniá & illi (ut nemini dubium est) si prædicauerit, de iure diuino debetur stipendium uitæ. Et similiter si iuris diuini est ꝙ detur merces mercenario, etiam iuris diuini erit ipsum mercenarii opus, & sic omnes artes mechanicæ erunt iuris diuini. Hoc argumentũ erat eius magistri qui nuper scripsit de residentia necessaria episcoporum.

¶ Ad illud uero quod quarto loco dictũ est, uidelicet, Si tolleretur præcepta residẽtia, nõne adhuc deberetur? Quod si deberetur, quo ergo iure nisi diuino? Respõdeo, Si absolute tolleretur præcepta a canonibus, proculdubio non deberetur de iure diuino. Quod si dicas, ergo posset episcopus non residere impune: fateor. At inquies, Nonne hoc est absurdum, & quammaxime? Verum quid

obſtat uno dato abſurdo ſequi aliud? Dices, Ante canones ergo licebat epiſcopũ non reſidere? An nõ dixi ꝙ ſemper mãdata fuit ab eccleſia reſidentia, quatenus tñ exigeret ipſa demandata cura? Quod ſi etiam expreſſum non fuiſſet, tamen in epiſcopi creatione ſubintelligeretur. Cõfeſtim enim ut creatur epiſcopus, ipſo facto iniungitur illi onus curãdi gregem, Sed hoc illi ab eccleſia, ſicut Petro a Christo: & ideo quatenus poſcit cura, eaten⁹ debetur reſidentia. Et quia in hoc plura occurrunt, de quibus merito dubitatur circa reſidentiam epiſcopi, ideo determinanda eſt ab ipſa eccleſia. Et per hoc nõ ſolum ſatis fit argumento, ſed ueritas etiam magis patet.

℄ Quod uero poſtremo de ſponſa, & ſpõſo affertur, facit pro nobis: quoniam manifeſte uidemus ꝙ Papa amouet ac disiungit epiſcopum a ſua eccleſia, & in aliam transfert, quam illi coniungit. Et ſunt Canones, qui hanc poteſtatem probant, nec ullus Catholicoꝝ negat: quod certe facere Papa non potuiſſet, ſi illa cõiunctio fuiſſet a Deo immediate ſtante

Chriſti

Christi uerbo, Quos Deus cōiunxit homo non separet. Si enim carnalia matrimonia separare non potest, quātum minus spiritualia? Verbum igitur Domini hoc, uidelicet, Quos Deus cōiunxit homo non separet, in ipso Pōtifice, & uniuersali ecclesia, cui uere a Deo ipso summo immediate coniungitur, uerum esse apparet: quoniam hoc spirituale uinculum solui non potest, nisi ab ipso Deo. Non est enim potestas in terra quæ ualeat destituere nec Papatum, nec ullum Papam, qui uere sit Papa, id est, saltem fidelis. A Papa uero destitui quidem episcopatus, id est, officium & ordo nequaquam potest, episcopus uero ille uel ille, potest, ut auferat summus Pōtifex ab eo curam, & si quidem adsit causa iure factum erit, sinautem non adsit causa, nihilominus cura ab eo sublata erit. Pontifex autem de iniuria rationem reddet Deo. Nec propterea manet ecclesia illa uiduata sponso suo quoniam (ut eleganter docet B. Tho. in Opusc. xix. cap. iiii. circa finem) Christus proprie loquēdo est sponsus ecclesiæ. Alii autē qui sponsi

dicuntur, sunt ministri sponsi, exterius cooperãtes generationi filiorum quam facit Christus, qui & dicuntur sponsi in quantum cooperantur uice sponsi qui est Christus. Et ideo Papa qui obtinet uicem in tota ecclesia, uniuersalis ecclesiæ sponsus dicitur. Episcopus autem, suæ dioecesis, Presbiter autẽ, suæ parochiæ. Vnde & dioecesis sponsus Papa est, & parochiæ episcopus &c. Vide igitur ordinem bone lector, nec turberis, quum audis residentiam episcopi particularem non esse præceptam iure diuino, & cum hoc tamẽ, absq; causa Papam dispensare nõ posse: quoniam de iure diuino habet papa ut curet oues, contra quam curam facit, si circa residentiam dispenset ad libitum. Omnis enim dispensatio debet esse cum ratione quã probet Deus. Ratio autem dictat, ut præfecti ouibus oues curent: & ideo necessarium est Pontificem id curare, quod in se est, & quod sibi mandauit Deus de uniuersali ecclesia, & aliis demandare, & ita modum curæ dispensare, ut gregis detrimentũ per incuriam non contingat.

¶ Vtrum auté rationabiliter cum Cardinalibus, & aliis curialibus, puta, cum auditoribus Rotæ, siue Cameræ, aut clericis Cameræ, aut Vicariis suis, aut gubernatoribus urbis, aut custodibus arcis sancti Angeli, & aliis huiusmodi, posit dispensari, aut cum ratione, siue tacite, siue expresse dispenset, sicut uidemus passim fieri, alia quæstio est, circa quam (si tractabitur in synodo) libere tũc atq; ingenue dicã quod sentio: Nihil enĩ prohibet in curia multos esse abusus, qui propter lõgam consuetudinem, & nullam animaduersionem, ac magnam huius seculi cæcitatem, non solum fiunt & permittuntur, uerum etiam (quod est longe calamitosius) iam abusus non reputantur. Videat ergo tandem Deus, & apponat oculum misericordiæ suæ, ut & nos recipiamus uisum, & nemo ausit dicere bonum malum, & malum bonũ: nec ullo præstigio obiicere nobis tenebras pro luce.

¶ Illud uero q; exigunt asiduam residétiam personalem episcopi in sua dioecesi, non habet uanam rationem: quoniam

si uelit officium suum facere bonus pastor, uix minimum supererit ei tempus, quo uacare possit a cura. Et nihilominus hoc assiduum, non cum rigore, sed iuxta humanam æquitatem ac rationem accipiendum est, & illo utēdum prouerbio. Ne quid nimis, Et, Oībus in rebus modus. Hic nō omittam ꝙ Caietani doctrinam hoc in loco non capio. Ipse enim, ut superius deduximus, facit hoc præceptum affirmatiuum gratia materiæ obligare ad semper, ac deinde uult gratia materiæ hoc præceptum quod obligat ad semper, posse aliquando licite non seruari, & ita sine uiolat ōe præcept', quod obligat ad semper gratia materiæ, posse episcopū non semper residere gratia materiæ. Hæc enim sunt eius uerba. Et quoniam obligatio ista ad semper ex parte materiæ est, & materia ipsa mutabilitati subiecta est, idcirco contingit absq; uiolatione præcepti episcopum nō semper residere &c. hæc ille. & post hæc soluendo argumenta dixit. Ad primam obiectionem (quæ erat quod in pluribus casibus licitum est non residere) dicitur ꝙ

quia præceptum hoc est affirmatiuum, nihil obstat, quod in multis casibus contingit licite non residere. Qui potest, intelligat. Mihi enim ista non aliud dicere uidentur, nisi quod hoc præceptum residentiæ etsi sit affirmatiuum, cuius natura est ut non obliget ad semper, ratione tamen materiæ habet, ut naturam affirmatiui non seruet, ac per hoc obliget ad semper. Et rursum licet ratione materiæ obliget ad semper, tamen contingit in multis casibus licite non seruari, tum ratione materiæ, tum quia præceptum est affirmatiuum, cuius natura est non obligare ad semper.

¶ Ecce igitur Reuerendissimi Caietani doctrina de præcepto residentiæ. Primũ quod obligat ad semper, quamuis sit præceptum affirmatiuum, & hoc ratione materiæ. Rursum hoc præceptum quod ratione materiæ, etiam sit præceptũ affirmatiuũ, obligat ad semper, potest tamen sine sui uiolatione nõ semper seruari, & hoc ratione materiæ, & quia præceptũ est affirmatiuũ, ut huc tandẽ sit ueniendũ, Obligat ad semper, & non obligat ad semp.

Et itē, ratione materiæ obligat ad semp; & ratione materiæ nō obligat ad semp. Et itē, licet sit affirmatiuū obligat ad semper: & quia est affirmatiuum, nō obligat ad semp. Profecto hæc doctrina ex eius uerbis elicitur. Et ideo non īmerito puto me dixisse, Qui potest intelligat: q̄q̄ non dubito facile inueniri posse, qui etiā sic dicentem uelint defendere, nec defore illis subtilissimas aliquas glosas, quas tamē, si bene perpenderent, nec ipsi probarent. Defendant ergo qui uelint, non censebo operæpretium cōtendere, cum non de re, sed de hominis errore agatur: quem in plerisq; aberrasse, non est qui, (saluo pudore) ualeat inficiari. Mihi autē illud semper probatissimū fuit, quod ait Scriptura, Doctrina prudentum facilis.

❧

CENSVRA F. AMBROSII CATHA*rini Politi episcopi Minoriensis in libellum quendam inscriptum, Controuersia de necessaria residentia episcoporum.*

AD REVERENDVM DOMINVM *& in Christo magnopere obseruandum & colendum patrem D. Franciscum de Nauarra episcopum ecclesiæ Pacensis.* F. *Ambrosius Catharinus episcopus Minoriensis.* S.



AGNOPERE *cuperem Reuerende Domine ac pater in Christo multa ueneratione colende, illud nunc mihi contingere, quod aiunt indifferenter optasse Socratem, uidelicet, hominũ pectora esse fenestrata, ut quod in cordibus lateret, ibi planè inspici posset. Si enim hoc pacto posses intima mei cordis tuæ mẽtis oculis penetrare, & perspicuè contẽplari, uideres profectò, uideres inquã, & sincero erga omnem fratrẽ me esse animo, nec solũ ex ueritate me loqui (quod eloquar) uerũ etiam ex charitate. At quoniã id fieri non potest, ut occulta mei cordis tibi nunc pateant, eo recreor, quòd non cõmittam, quãtum sinet humana fragilitas, ut per meum aliquod siue dictum siue factum, quisquã ualeat aliud de me meritò suspicari. Quòd si qui aliter censuerint, cõsolabor*

*me ipsum à uerbo magni Apostoli, aientis. Mihi pro minimo est ut à uobis iudicer, aut ab humano die: Qui iudicat me dominus est. Et illius præmonitione fretus, hortabor ne quis uelit ante diem iudicare, quũ uenerit Dominus illuminans absċondita tenebrarũ, & manifestans consilia cordiũ, ut quisq; ab ipso pro meritis referat laudẽ suam. Dices, quorsum hæc tu ad me? Accipe. Aedidit libellum frater Bartholomeus Carranzam de Mirãda familiaris tuus, tibiq́; (ut scio) charißimus, cuius libelli titulus hic est. Controuersia de necessaria residentia personali episcoporũ, & aliorum inferiorum pastorum Tridenti explicata per fratrem Bartholomeum &c. Ipsum amplitudini tuæ inscripsit. Is in eo apud multos & pios & graues uiros, & apud omnes Patres rei gestæ gnaros, summoperè ac uehementer offendit. Quare inuitus & dolens coactus sum censuram super illum cõponere, & eam itidem dicare tibi, non alio animo, q̃ (ut prædixi) sincero, & quẽ proculdubiò si cerneres, certò scires à charitate moueri. Quod autẽ & à ueritate, existimo neminẽ negaturum, quãtacunq; erga illũ beneuolentia afficiatur, modo talem se mihi præstet, qualem non solum Apostolica sentẽtia, uerum etiam philosophica cõmonitio postulat. Apostolus ait, Charitas cõgaudet ueritati. Philosophus inquit, Decet amatorem sapientiæ, in gratiam ueritatis etiã propria destruere: nam cum ueritas & Plato amici sint ambo, sanctius est honorificare ueritatem, Vale mi Domine summopere mihi honorande atq; colende.*

Præfatio

# PRAEFATIO AD LECTOREM.



ON ABRE, *nec absq; magna & aßidua neceßitate edoctus à uerbo* CHRISTI *magnus ille* Apostolus, *eius frater* Iacobus *praecipit.* Nolite *plures magistri fieri fratres mei, scientes quòd maius iudicium sumitis. Sciebat enim in hominis conditione innatam & magnam ad errandum procliuitatem, & ingentem nihilominus ad docendum alios cupiditatem: quo malo uix ullum peruersius, unde sapienter adiecit.* In *multis enim offendimus omnes.* Si *quis autem in uerbo non offendit, hic perfectus est. Cui si hac parte obtemperatum fuisset, profectò non tam magnum magistrorum prouentum nobis nostra haec infoelix aetas attulisset, nec per eos uniuersum scindi orbem in diuersas partes conspiceremus, sed sua pace frueretur ecclesia.*

Hoc *uerò non propter eos dixerim, qui manifestè sunt hostes ecclesiae, de quorum resipiscentia uix ulla spes, Sed propter nos ipsos qui (gratia* Dei) *permanemus unanimes in eius domo, ne quis nostrum prae nimia huius magisterii auiditate, aut arrogantia, improuidè offendat aut excidat:* Aut *si quis iam se la=*

*bentem, aut lapsum sentiat, contineat & erigat se. Vix enim ego opusculum de episcoporum residentia quorundam precibus adductus scripseram, ubi, quatenus, & quo iure illa exigatur, pro mea qualicunq; facultate disserui (etsi nondum in lucem prodierat, & quia morabatur iudicium doctorum) quum peruenit ad me nouus cuiusdam magistri libellus eiusdē fere argumenti, quo perlecto, cum mihi sit ille amicus & frater in domino, uehementer dolui, quòd perspexerim illum in hoc Apostoli præceptum miserabiliter commisisse, ut qui in multis uehementer offenderit. Offendit enim satis in titulo: offendit & in epistola nuncupatoria plus satis: denique & in toto ipso tractatu plurimum & paßim offendit. Admonuissem uerò de hoc hominem amicè, & iuxta ordinem fraternæ charitatis ad aurem, si res integra esset, hoc est, si factum non esset publicum, & tale per quod imperitis, ac rerum ignaris, ad scandalum ac seditionem facile poßit imponi. Malignis autem etiam præberi materiam oblatrandi serendiq; calumnias in domum Dei ac S. Synodum. Quaobrem non studio contentionis, neque causa depreßionis amici ac fratris, quem diligo in ueritate, sed officii gratia (quod & illi, & omni populo, ac præsertim sanctæ Synodo, me debere intelligo) de hoc libello quid sentiam, in modum censuræ libuit paucis (quãtum fieri poterit) perstringere. Audi ergo benigne lector & Christianæ pacis amator.*



RIMVM *dixi hunc hominem offendisse in titulo, qui huiusmodi est.* Controuersia de necessaria residentia personali episcoporum, & aliorum inferiorum pastorum, Tridenti explicata per fratrem Bartholomæum Carranzam de Miranda &c. *Cum uerò ex his uerbis tituli manifestissimè indicetur controuersum fuisse in sancta Synodo, utrum necessaria sit episcoporum residentia in suis ecclesiis, & hoc omninò sit falsum, quid esse dixerim hoc aliud (si suo uerbo explicanda sit res) quàm palàm calumniari, & iniuria Synodum infamare? cum reuera tantum abfuerit ut ulla ibi de hoc orta fuerit controuersia, ut econtrariò uniuersi* Patres *semper & uno ore, nullo prorsus excepto, necessariam esse personalem residentiam & confeßi fuerint, & hoc ipsum nouo* Decreto *confirmauerint, & nouas etiam pœnas, ut seruaretur, adiecerint.* Nam *quomodo poterat hoc in controuersiam deduci, quod iam per plurimorum* Pontificum *canonibus, & conciliorum statutis sancitum erat prius?*

Nec *uolo mihi respondeat, dicens controuersum fuisse in* Synodo *an residentia hæc præcepta esset iure diuino.* Primùm *quia neque hoc est uerum, cum* Reuerendißimi D. Præsidentes *hanc quæstionem pro-*

*hibuerint in controuersiam uenire, aut quouis modo tractari in Synodo, idq́; prudenter omninò, cum eius generis ea esset quæstio, quæ poterat inter Catholicos salua fide & charitate disputari: illius autem resolutio minime ad rem faceret, cum residentiæ debitum nemo negaret, & pœnæ congruentes non residentibus in arbitrium Synodi reiicerentur. Prætereà demus illi hoc falsum pro uero, quòd ibi hæc quæstio tractata fuerit, uidelicet, an residentiæ præceptum sit de iure diuino, cur non explicuit uir iste in titulo? Nunquid forte apud eum idem est dicere simpliciter, utrum necessaria sit residentia, & dicere, utrum iure diuino sit necessaria? Aut ex hoc ipso quòd asseratur non necessaria de iure diuino, continuò sequitur, Ergo simpliciter non necessaria, sicut quidam mihi pro illo respondit? At hoc hæreticum esset, & Lutheranum, cum illi nullum præceptum admittant, nisi diuinum. Falsus igitur omninò & calūniosus est hic titulus, ut qui facilè præbeat occasionem malignis traducendi nomen nostrum, & blasphemandi apud eos qui schismatico spiritu concitati de seditionibus gaudent ac scissuris.*

*Illud uerò quod adiecit explicatam à se fuisse hanc controuersiam Tridenti, quæso te prudens lector, nōne uidetur sapere illum spiritum, quem (ut à principio dixi) frater Domini uituperat ac prohibet: illam nimirum nostram nimiam cupiditatem, qua haberi uolumus & uocari Magistri, quorum est implicita*

explicare? & ita facilè in eiusmodi iactantias efferimur, unde aliis uel mouemus stomachum propter arrogantiam, uel excitamus risum propter insipientiã. Ignotũm uerò erat hoc huius tam præclarum facinus explicandi controuersias Synodorũ, nisi ipsemet quasi tuba omni populo præcinuisset, seseq; indicasset eum esse, qui faceret utranq; paginam. Nam reuera nobis qui ibi aderamus, absconditum penitus erat uerbum hoc; & nunc etiam nescimus qua potestate uel autoritate Tridenti id egerit, ut explicauerit controuersias Synodi. Omisissem profectò hanc hominis uanitatem ut uanitatem, neq; mihi mouisset stomachum, quia floccifecissem, neq; excitasset risum, quia cõmiseratus potius fuissem, utpotè amico & fratri in Domino; nisi uidissem per hæc uana, apud rude uulgus obscurari atq; imminui existimationem S. Synodi. Putant enim homines, uiros huiusmodi qui ædunt opera sua publicè, ac præsertim tanta autoritate sententias proferunt, & explicatores controuersiarum se (interim tacente Synodo) profitentur, alicuius esse eximii nominis ac spectatæ doctrinæ, quales esse deberẽt quibus habenda sit fides. Vnde necessaria fuit censura, tum ad retundendam calumniam, tum ad arrogantiã comprimendam.

Dixi secundò offendisse hunc hominem etiam in epistola. Scripsit nuncupatoriam epistolam ad insignẽ Præsulem, quã ego etiam colo & ueneror tamq̃ patrem in Domino, tum ob illius insignes uirtutes,

*tum quod & in mea episcopi consecratione instru= ctor astitit. Mitto ergo quæ in laudem illius præfa= tur, quæ & nos in illo agnoscimus, & gaudemus: q̃q̃ illud ei tribuerit, quod offendere posit nonnullos.*

*Primum, cum hanc uniuersam huius temporis ca= lamitatẽ ordini episcoporũ acceptam referat, unum solum excipit, ipsum nimirum* Pacensem *episcopum.* Mitto *quòd non erat monachi tantum ordinem indif ferenter, & tanta macula, conspurcare, & cum alio= rum iniuria unum solum excipere.* Nec *enim puta= mus ipsum pro sua modestia & æquanimitate, hanc suam laudem tam singularẽ libenter agnoscere.* Mit= *to quòd etiam* CHRISTI *uicarium agere illum simpliciter ait.*

Nemo *autem simpliciter agere* CHRISTI *ui carium dicitur, præter summum* Pont. Romanũ, *de quo singulariter Carolus ille cognomento* Magnus, *hoc est professus his uerbis.* Ipse *est qui uices* Dei *gerit in terris.* Hoc *igitur alii simpliciter tribue= re, ut iste fecit, iam est insolens, etsi forte aliquan= do ab aliquo sit usurpatum, sicut alia quædam, à qui= bus meritò abstineremus, hoc præsertim tempore quando noui hæretici æquant* Rom. Pontificem *auto= ritate ac potestate cæteris episcopis.* Verùm *excuse= mus ut impropriè atque improuidè dictum, & ex= pendamus alia quæ non solum habent errorem, ue= rùm etiam calũniam pessimam ac intolerabilem: hæc sunt eius uerba.*

, Quoniam & nunc ascendunt contra CHRISTI
, ecclesiam armati filii Moab & Amon, sicut & tunc
, contra Iudam & Hierusalem. Ridebant nostri aduer
, sarii mores & abusus hactenus, nec immeritò qui=
, dem; ridebant etiã nostram doctrinam, sed falsò, nec
, ullis cauillis aliquid potuerunt obtinere, non labẽ non
, rugam ostendere. Nunc uerò (quod præ dolore scri
, bere uix possum) uereor ut Sathan nec hanc partem
, reliquam nobis faciat, nisi nos ipsos opponimus eius
, ualidissimo arieti. O pater non satis erat periclitari
, in moribus, & in ea parte male audire, nisi peri=
, clitemur etiam in doctrina. Exoriuntur enim (ut au
, dio) nonnulli, qui nunc tandem in dubium reuocant,
, unde episcopi originem ducant, iure diuino, an hu=
, mano fuerint constituti, tum etiam an teneantur præ
, sentes episcopi suas oues pascere, an uerò satis sit
, mercenarium pastorem gregi præficere, ut ipsi à cu
, ra soluti, alias res agant, hoc est, ut alter nomine qui=
, dem sit episcopus, & ob hoc oues tondeat, ne dicam
, deglubat. Alter conductitius, pastoris obeat munus.
, nonne sunt doctrinæ, nec dubito, quin illarum, quas
, Paulus uocat Dæmoniorum? hæc ille.

Audet igitur uir iste eos Præsules, qui catholico nomine censentur, insimulare nõ iam de abusibus, sed de crimine pessimo, hoc est, de praua doctrina, & illa quam Dæmoniorum doctrinã Apostolus uocat. 1.Tim.4 Quid poterat grauius in nos impingere? Quis ergo ferat hanc calumniam tam apertam, tam insignem?

Alloquar hominem. Ehò bone uir dic nobis, quæ nam hæc est tandem doctrina dæmoniorum? nempe, reuocare in dubium unde episcopi ducant originem, & num diuino, an uerò humano iure sint constituti? Verùm qui sunt isti qui hæc in dubium uocant? Audio, inquis. Itáne ergo leuis es, ut de fratribus & præsulibus tantum flagitium audiens, tam facile credas, & ita leuiter credens etiam tam durè inueharis, scilicet solo commotus auditu; ut cognita tandem ueritate uel exponas te ludibrio propter leuitatem, uel maleuolentiæ & odio, propter calumniam adeò manifestam? Quis enim non potius credat teipsum hæc monstra tibi confinxisse, quæ superares? Alioquin cur antequã publicè scriberes, non curasti fieri certior, & nosse qui talia uel dicerent uel scriberent, ut postmodo iure illos posses reprehendere, ac (si opoteret) etiam pro tua autoritate, quam tibi sumis, duriter obiurgare, ne uidereris, sicut nunc uideris, potius optare pugnam, ac de pugna uictoriam tuam, quàm Christianam pietatem ac pacem? & ita potius desiderare homines, quos spiculis tuæ doctrinæ prosternas, quàm quos, si rectè sentire nouisses, amplexareris ut pios? Quis autem est qui non rectè sentiat hac parte? Quis enim non dico Patrum concilii, sed omninò qui Christianæ religionis primis elementis imbutus fuerit, ignorat CHRISTVM ordinasse Beatum Petrum Apostolum episcopum uniuersalis ecclesiæ, & per illum posse alios, ac debere creari episcopos

crescente

*crescente ecclesia, & propterea episcopatus ordinem & officium ab ore Domini & Dei nostri fuisse institutum ac profectum? de quo etiam credibile est quòd reliquos Apostolos crearit pastores, sicut habet præfatio ecclesiastica ad canonem Missæ, quos tamen ipsi Petro subiecit. Hæc nullus negat, imò nullus negare, nisi uel proteruus, uel omninò stultus, potest. Et certè contra hoc in Synodo uerbum nullum. Illud item præterea quod adiecisti, Tum an teneantur episcopi, qua fronte (quæso) adiecisti, ò amice? Imò quo animo? nonne in fellis amaritudine cum uerbis adeò insolentibus & contumeliosis? Considera uerba tua quæ citaui, & agnosce esse calumniosissima & contumeliosissima in Patres, cum nec in mentem sani hominis uenire queat, ut de eo dubitet quod ipse fingis, ullum ex Patribus dogmatizare. Aliud est episcopum non curare gregem, quod multis fortè contingit, ut hoc faciant cum animæ suæ discrimine. Aliud uerò asserere aut dubitare (ut uerbis tuis utar) utrum liceat episcopo à cura se soluere, ut nomine tantum ipse sit episcopus, & oues tondeat aut potius deglubat: quod nemo tam perfrictæ frontis posset unquam sibi uertere in quæstionem, nisi si quis fuerit omnino excors & insanus. Salua igitur res tibi erat circa doctrinam, optime frater, nec oportebat ut te ipsum accingeres, ac te opponeres (ut ais) huic ualidissimo arieti Satanæ. Nemo enim hunc mouere potest, nisi*

*& ipse sit aries. Qui tamen si quis eum moueret, non ualidissimus esset, sed infirmissimus, nec multas uires posceret ad retundendum. Parce ergo quæso, parce tantis uiribus tuis, & serua eas tempori opportuniori, aut in hostes potius conuerte, non in nos, quos non debuisti putare arietes, ne in uacuum certans, ipso impetu nihil offendens, tuas ipse uires, ac temetipsum inutiliter frangas. Quòd si tanto dolore comprimeris propter abusus, quãtum exprimis, usurpans tibi Apostoli uerbum, Tristitia magna &*
Rom. 9. *continuus dolor cordi meo &c. scito magis te profecturũ taciturnitate, oratione, & lachrymis, quàm isto uerborum strepitu, quo si quid agis, magis stomachum moues, & odium & irreuerentiã plebium in prælatos, quàm ullam in eis emendationem opereris: quia grauem te correctorem non aspiciunt. Sed ad rem redeo.*

*Dixi tertiò hunc hominem non minus offendisse tam in tractatu suæ controuersiæ circa doctrinam, quàm uel in titulo, uel in epistola circa positionem controuersiæ, quod & facile indicabo cum* Dei *gratia;* Non *quòd sit animus notare singula, ne bonas horas male collocem.* Pauca *enim satis erunt, de quibus cætera qualia sint, facilè poterit prudens lector existimare, & clarè prospicere quàm sit idoneus uir iste ad controuersias* Synodorum *explicandas.* Primum *igitur magistraliter (ut ita dicam) ingrediens disputationem, proponit (ut eius uerbis utar)*

explicari per duo axiomata totum statum præsen-
„ tis controuersiæ, & ait. Eorum ad quæ legibus te-
„ nemur, quædam sunt iure diuino præcepta uel pro-
„ hibita, quæ nullam institutionem habent à iure na-
„ turali, ut baptizari aqua, & usus aliorum sacra-
„ mentorum. Alia uerò iure naturali prohibita, quæ
„ nullam institutionem habent à iure diuino, ut fura-
„ ri, mœchari &c. Alia autem ab utroq; iure prohi-
„ bita sunt, uel præcepta, uerbi gratia, reuereuter tra
„ ctare sacramenta, mundum sumere cœnam Domi-
„ nicam, ne liceat uendere sacramenta, uestem aut præ
„ bendam, quia sacra est. hæc pendent ab utroq; iure,
„ qui in istis offendit omnia iura uiolat naturalia, &
„ diuina &c. & adiecit tandem. Huius tertii generis
sunt quæ iure controuertuntur de residentia mini-
strorum ecclesiasticorum. hæc ille. Nunc obsecro te
bone lector attende.

Primum hic Magister noster tradens doctrinam eorum quæ legibus præcepta sunt, uel prohibita, & in membra recolligens, ea tantum proponit quæ iure diuino, uel naturali præcepta sunt, uel prohibita, ita ut hoc tam pulchro & spectabili principio se ostendat uel omninò hæreticum, si præter legem diuinam, aut naturalem, neget esse ecclesiasticam, & ciuilem: Aut indoctum prorsus, si fortè quæcunq; sunt legis ecclesiasticæ, aut ciuilis, ponat esse etiam iuris naturalis, aut diuini: Aut certè inconsideratum ac præcipitem sicut in calumniando,

ita & in docendo, præsertim quod in hoc uersabatur status quæstionis propositæ, uidelicet, utrum residentia esset potius de iure ecclesiastico, quàm de iure diuino. Debuit ergo ius ecclesiasticum ad rem propositam uenire in numerum. Proinde quis ferat quod ait, Ne quis furetur, aut ne quis mœchetur, non esse ab utroq; iure prohibitum, & non habere nouam à iure diuino institutionem? Nam quæ talia sunt, id est, utroq; iure præcepta siue prohibita, in tertio suæ diuisionis membro conclusit: quæ res omnem illi elabendi rationem intercipit. Si ergo nos hoc in libro suis illum uerbis compellaremus & urgeremus, quòd hæc uerè est doctrina Dæmoniorum, quid (rogo) haberet quod iure posset respondere? Et tamen, ut ei parcamus, inconsideratum illum potius arbitrari uolumus, quàm uel hæreticum, uel indoctum, & imperitum docendi, uel etiam malignum: quãuis quod ipse audet, & tanto spiritu pronunciat, sit mera hæresis & intoleranda, & ipso primo auditu absurda, uidelicet, rerum sacrarum uenditionem & naturali & diuino iure prohibitam, Furtum uerò & adulterium non iure diuino, tanquã lex Decalogi non sit ius diuinum, & tanquã uerbo CHRISTI non sit probatum & confir-

Matth. 5. matum, cum etiam dixerit, Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quare qui hæc mandata transgreditur, non punitur quasi legis tantum naturalis uiolator,

*sed in primis diuinæ, sicut docet Apostolus cap. 7. ad Rom. & Ecclesiasticus cap. 23. mulierem adulteram uituperans ait. Primò, inquit, quia in lege altissimi incredibilis fuit. Secundo, quia in uirum suum deliquit. Mitto quæ de sacrarum rerum uenditione dicere possum. Hactenus credo iustificabor ab æquo iudice de eo quod iam censui, cum dixi, de paucis quæ de propria hic protulerit officina, posse facile cætera coniectari: nondum tamen illum dimittam, nisi prius absoluam de toto opere censuram, nempe hanc.*

*Primum in maiore sui operis parte, ubi apparet esse aliquid, frustrà disputat, quia cum aßiduè pugnet, contra neminem pugnat: nam ferè ubique inculcat necessariam esse episcopis residentiam ad ouium curam. At hoc ego etiam iterum atq; iterum inculcabo, Quis hoc negat?*

*Secundò ubi opus erat fortiter agere, dum nititur probare præceptam esse residentiam de iure diuino, incipit elanguescere. Citans enim scripturas ueteres, ut per eas hoc nobis probaret, primò & ultimò locum sumit à sensu mystico, & allegorico, per ipsum tamen confecto: quàm uerò ineptè, relinquo lectori iudicandum. Quod satis est, ut cognoscamus abundantes huius magistri diuitias in argumentando, dum ad reuincendos aduersarios, utitur figuris & sensibus mysticis, quos ipse tamen commentus est, nec meminit Beatißimi Dionysii senten-*

*tiæ, & Augustini, & Thomæ, & omnium dicentium hoc genus argumenti esse inualidum.* Et tamen, *ut simus nos benigniores in hunc hominem, admittimus hunc locum, sed dicimus militare aduersus illum. Ipse enim ex uerbis* Domini *quæ præcepit* Leuitis Num. 18. *dicens:* Excubate *in custodia sanctuarii, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel &c. colligit præceptum residentiæ esse de iure diuino: quia illi ad quos loquebatur, mystice significabant personam* Romani Pontificis, *& inferiorum pastorum.* Ego *uerò qui aliquando in studio* Iurisconsultorum *uersatus sum, respondeo illi,* Inciuile *est non tota lege perspecta, de una eius aliqua particula iudicare, uel respondere.* Ideoq; *o amice, perpende superiora quæ ad* Aaron *summum sacerdotem prædixerat* Dominus Deus; *prædixerat enim.* Excubabuntq; Leuitæ *ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi &c.* Ex *quibus apparet quòd excubatio minorum* Leuitarum *de præcepto summi* Pontificis *pendebat, & non iure diuino immediate, nisi quòd erant iure diuino obligati parere* Pontifici. Hoc *est autem quod nos dicimus in proposito.* Mitto *(ne tempus amittam) alium citatum locum expendere.* Mirum *enim quàm nihil faciat ad rem.* Reliqua *uerò quæ de sacris literis producit, quia iam patebant in libello nostro, non omittuntur, & (ni fallor) facilè resoluuntur.*

Tertio, quod uehementer uelim animaduerti, in capite sui libelli septimo, plura de conciliis affert, unde probet residentiam legibus canonicis conciliorum, & summorum Pontificum inueniri praeceptam. Quod reuera non solùm non militat contra nos, sed contra illos egregiè qui uolunt hoc esse diuini praecepti. Nam quod est diuini praecepti, non oportet à conciliis praecipi, imò indignum esset ac praeposterum si hoc fieret. Vnde B. Paulus de his quae praeceperat Dominus ait. Non ego, sed Dominus. 1. Cor. 7. Solummodò si opus esset, per concilia declarari posset aliquid esse diuini iuris. At uerò statui, minime: ne uerbo Dei fieret contumelia. Quãobrem hoc est pro nobis magnum & urgentißimum argumentum, quòd nulla Synodus, nullus Pontifex, in suis ipsorum canonibus dicunt episcopos non residentes directè contra ius diuinum agere, sed bene dicunt eos agere contra canonum instituta, aut, si quid amplius, contra Apostolorum statuta, quae tamen non faciunt nisi canonica iura. Videat qui uult. in tit. de cler. non resid.

Quarto, mitto quàm indistinctè & confuse semper loquatur. Istud singulariter est adnotandum, quòd hic Magister non solùm falsò & calumniosè paßim hanc opinionem pergit nobis impingere, uidelicet, quòd opinemur episcopos non teneri ad residentiam, quàm exigit debita cura gregis, sed (quod omnem calumniam superat) addit nos putare con-

*trarium esse à sacra scriptura præceptum, hoc est, sacros canones hac de re contra scripturas militare. Nam cap.7.fol.33.& .34. cum exposuisset pro astruenda residentia, canonem concilii primi Carthaginensis, adiecit hæc uerba. Nunc uerò contrarium putant nostri episcopi præceptum à sacra scriptura, Nisi uelit hoc dictum excusare, quòd satis hoc putare creduntur, cum id ipso facto declarent, non obtemperando canonibus. Verùm non sic erat loquẽdum homini disputanti pro ueritate. Hic enim modus proprius est autoritatem habentis, & corripientis cum imperio, & non monachi, cuius proprium erat, sua potius & aliorum peccata deflere, & non in maiores, & præsules Christiani gregis tanto stomacho inuehi, & si bona pars nostrùm digni essemus opprobrio illo, non tamen ille dignus qui diceret, præsertim cum multi proferri poßint, qui & bonæ mentis sint, & magna cura satagant pro suarum ouium salute.*

*Quinto, quia neminem alium habebat hic Magister, qui hanc tractauerit quæstionem in propriis terminis, uidelicet, An residentia personalis aßidua sit præcepta de iure diuino, tandem Card. Caietani solius nititur autoritate. Excusat autem Patres antiquos hoc in terminis non tractasse, quia, inquit, non cogitabant fore tantum scelus in ecclesia, sicut respondit Solon rogatus cur non tulisset legem in parricidas. Nunc rogo primum ab hoc homine, quid*

*est hoc*

*est hoc scelus quod non cogitabant* Patres *fore in ecclesia? nunquid non curare gregem, & non resi-dere? hoccine est ergo quod non putabant* Patres *fore in ecclesia? Quid ergo ipse agit toto opuscu-lo ostendens à scripturis uituperatum esse hoc cri-men, & à conciliis prohibitum, & a ueteribus san-ctis doctoribus improbatum? Quomodo ergo non co-gitatum fore in ecclesia?*

Dicet *forte, non hoc est quod aio, non putasse* Pa*tres ueteres, uidelicet, non fore hoc scelus, sed non fore qui illud defenderent, & iccircò non propo-suisse quæstionem in terminis.* Ecce *rursus calūnia, cum nemo sit qui defendat peccatum, imò nemo qui non improbet ac detestetur.*

Dicet, *cur ergo putatis non esse hoc iuris diui-ni præceptum?* Respondemus, *quia non apparet in scriptura præceptum, & nullus patrum hoc dicit, &* Canones *potius oppositum arguunt, ut deduxi-mus, & in proprio libello abundius (ni ualdè fal-lor) & à ratione terminorum, & de fundamentis scripturarum, ualdè comprobauimus.* Et *ideò hoc pu-tare non est quasi scelus parricidii, quod sua atro-citate esset omittēdum ne commemoraretur, ut iste uult, in atrocem multorum* Patrum *iniuriam, præ-sertim cum si iuris diuini sit, oportuerit inueniri apertum hoc in scripturis, & apertè nobis osten-di: quod certè nullus ueterum fecit, ut ipsemet com-probauit, qui tamen tanto spiritu pronuntiat atrox*

*adeò scelus nostrum, quod nesciamus quæ Patres non docuerunt.*

Dicet, Quid *respondes ad* Reuerendißimũ Cardinalem Caietanum, *qui tractauit in terminis quæstionem hanc, & piè & sanctè resoluit eam, concludens residentiam à iure diuino præceptam?* Respondeo *primùm, quòd in hoc paupertatem hominum agnoscimus, qui cum alios non habent quos adducant, in uno tantum autore innituntur, nempe* Cardinali Caietano, *tanquã ille non in multis errauerit & pernitiose: quæ si quis uelit defendere, parùm profectò catholicum se comprobabit.* Deinde *respondeo, quòd* Caietanus *mutauit sententiam: nam quæ ex illo citantur, ea dixerat anteq̃ esset* Cardinalis, *postremò* Cardinalis *creatus, longè aliud fecit.* Nam *clarè constat eum* Cardinalem *iam creatum, etiam episcopatum acceptasse, & tamen non resedisse: quẽ si pium & sanctum arbitrantur (ut iste ait) quòd piè & sanctè illud docuerat, & nonnulli etiam prædicant eum sanctum, de quo non contendo,* Quomodo *ergo commisit tantum scelus atq; adeò horrendum, quod minimè esset cogitandum futurum, tanq̃ parricidium apud* Solonem? Et *profectò si de uiro probo & sancto intelligimus quiddam aliquando ab eo dictum, postremò uerò aliter ab eo factum & seruatum, credendum est, ipso facto illum à suo dicto iam receßisse,* Ergo *pro nobis potius militat* Caietanus, *si uelimus eius autoritate inniti.* At ego, *etsi*

*reuera nec eius dictum probem, neque eius factum hac parte probare ausim, in aduersarios tamen, qui in uiri huius autoritate mirificè confidunt, hæc meritò & cum magna ratione reiecto: quoniam dum uolunt illum efferre in cœlum, ut doctrinæ autoritatem extollant in eo quod probant, infamant potius, cum facto in hoc non probauerit doctrinã suam. Verum quòd & eam quæstionem tractans docendo multum errauerit Caietanus, satis mihi uideor in proprio tractatu de episcoporum residentia demonstrare: uideat & censeat qui uult.*

*Denique quia hic homo dum scripturarum & Patrum autoritate innititur, aliquando proprias etiam intermiscet rationes, unam tantum quæ facere deceptionem imperitis facilè posset, inducam: ait enim. Si iuris diuini est quòd debetur merces episcopo, consequenter diuini iuris erit quòd teneatur impendere plebi suæ officium curæ, & ideò etiam residentiam. Quod argumentum si probat, etiam probat, quòd de iure diuino debet religiosus prædicationem suam populo: quoniam etiam illi si prædicauerit, iure diuino (ut nemo dubitat) debetur stipendiũ uitæ. Et similiter probat, si diuini iuris est quòd mercenario cuilibet debetur sua merces, etiã diuini iuris erit ipsum mercenarii opus, & ita omnis ars mechanica, & opera cuilibet impensa erit diuini iuris. An non meritò dixi quòd ex paucis, cætera huius hominis cõsiderari possunt qualia sint? si*

*tamẽ pauca ſunt quæ dixi, imputandũ tamen illi qui ſuppeditauit materiam. Vale lector & diſce non facilè fidere in huiuſmodi nouis Magiſtris, etſi ſe ualdè ſtrenuos ipſimet oſtentent. Tunc enim eis tantum minus fidendum eſt.*

*Vnum tamen penè mente exciderat, optime lector, commemorandum, quod ab hoc uiro deſideraſſem. Ipſe enim uolens contumaciam multorum epiſcoporum arguere, qui contra Synodorum præcepta agentes, ſecularium principum fauore ſeipſos excuſant, quo minus ad hoc generale concilium conueniant, poſtquã canonem octauæ Synodi protulit aduerſus eos; ſic ait. An non tibi uidetur loqui de Synodo Tridentina tam infrequenti? Hic non reprobo dictum: quoniam uerum & opportunum, refero enim hoc benignè ad tempus quando erat Synodus Tridentina. Verùm deſideraſſem ut illius concilii autoritate ſimiliter nunc uteretur, & urgeret etiam pro Synodo Bononienſi; una enim Synodus eſt, eadem neceſſitas, obligatio eadem, & illius canonis præuaricatio (ut poteſt cunctis piis conſtare) minime ceſſat. Vale iterum bone lector, & cenſuram noſtram ut maxime opportunum, & ab inuito, nec ſine dolore exortam, boni conſule.*

FINIS.



REGISTRVM.

A B C D E F G H I.

*Omnes sunt Duerni.*

VENETIIS APVD GABRIE-
LEM IOLITVM DE FER-
RARIIS. M D X L V I I.






SEMPER
EADEM
GG
F